

VERSUS 44.

Et erat predicans in synagoga Galilææ.

1. — Hugo Cardinalis ait : « Synagogæ Galilææ

« sunt congregationes secularium : quibus etiam
 « prædicandum est, quia bonis prædicandum est
 « et malis, ut mali ad bonum et boni ad melius
 « provocentur. »

FERIA SEXTA POST TERTIAM DOMINICAM QUADRAGESIMÆ

EVANGELIUM JOANNIS, CAP. IV, VERS. 5

5. Venit in civitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar, juxta prædium quod dedit Jacob Joseph filio suo.
6. Erat autem ibi fons Jacob. Jesus ergo fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem, hora erat quasi sexta.
7. Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dixit ei Jesus : Da mihi bibere.
8. Dicit ergo ei mulier Samaritana : Quomodo tu, Judæus cum sis, bibere a me possis, quæ sum mulier Samaritana ?
9. Non enim contuntur Judæi Samaritanis.
10. Respondit Jesus, et dixit ei : Si scires donum Dei, et quis est, qui dicit : Da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam.
11. Dicit ei mulier : Domine, neque in quo haurias habes, et puteus altus est : unde ergo habes aquam vivam ?
12. Numquid tu major es Patre nostro Jacob, qui dedit nobis puteum, et ipse ex eo bibit, et filii ejus, et pecora ejus ?
13. Respondit Jesus, et dixit ei : Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum.
14. Sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.
15. Dicit ad eum mulier : Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque veniam huc haurire.
16. Dicit ei Jesus : Voca virum tuum, et veni huc.
17. Respondit mulier, et dixit : non habeo virum. Dicit ei Jesus : Bene dixisti, quia non habeo virum.
18. Quingue enim viros habuisti, et nunc quem habes, non est tuis vir ; hoc vere dixisti.
19. Dicit ei mulier : Domine, video quia Propheta es tu.
20. Patres nostri in monte hoc adoraverunt et vos dicitis quia Hierosolymis est locus, ubi adorare oportet.
21. Dicit ei Jesus : Mulier, crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitur Patrem.
22. Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus, quia salus ex Judæis est.
23. Sed venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate ; nam et Pater tales querit, qui adorent eum.
24. Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.
25. Dicit ei mulier : Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus, cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia.
26. Dicit ei Jesus : Ego sum qui loquor tecum.
27. Et continuo venerunt discipuli ejus, et mirabantur, quia cum muliere loquebatur : nemo tamen dixit : Quid quæris ? aut quid loqueris cum ea ?
28. Reliquit ergo hydriam suam mulier, et abiit in civitatem, et dicit illis hominibus :

29. Venite, et videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci ; numquid ipse est Christus ?
30. Exierunt ergo de civitate, et veniebant ad eum.
31. Interea rogabant discipuli ejus : Rabbi manduca.
32. Ille autem dicit eis : Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis.
33. Dicebant ergo discipuli ad invicem : Numquid aliquis attulit ei manducare.
34. Dixit eis Jesus : Mens cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus.
35. Nonne vos dicitis, quia adhuc quatuor menses sunt, et messis venit ? Ecce dico vobis, levate oculos vestros, et videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem.
36. Et qui metit, mercedem accipit, et congregat fructum in vitam æternam, ut et qui seminat, simul gaudeat, et qui metit.
37. In hoc enim est verbum verum, quia alius est qui seminat, et alius qui metit.
38. Ego misi vos metere, quod non laborastis ; alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis.
39. Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum propter verbum mulieris testimonium perhibentis, quia dixit mihi omnia quæcumque feci.
40. Cum venissent ergo ad illum Samaritani, rogaverunt eum ut ibi maneret, et mansit ibi duos dies.
41. Et multo plures crederunt in eum propter sermonem ejus.
42. Et mulier dicebant, quia jam non propter tuam loquelam credimus ; ipsi enim audivimus et scimus quia hic est vere Salvator mundi.

VERSUS 6.

Jesus ergo fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem, hora erat quasi sexta.

1. — Ostendit his verbis S. Joannes, quantopere Salvator noster ab omni fastu, deliciis et vite commoditatibus alienus fuerit : « Ostendit nobis « Dominus a fastu et rerum abundantia, » inquit Theophylactus « alienum fuisse, non enim jumentis « utebatur ad iter, sed pedes ibat. »
2. — Nimirum ostendere voluit se carnem humanam assumpsisse una cum infirmitatibus suis. Interlinearis ait : « Suscepit enim omnia quæ sunt « nostræ infirmitatis, sine peccato. » « Ex quo, » inquit Lyranus, « apparet veritas humanæ naturæ « ex infirmitate. »
3. — S. Augustinus, *tract. xv in Joan.*, scribit : « Invenimus Jesum fortem et infirmum ; fortem, « quia in principio erat Verbum ; infirmum, quia « Verbum caro factum est. »
4. — Dionysius Carthusianus mysticæ hujus fationis Dei illius, de quo David, Ps. xvii, 1, dixerat : *Diligam te, Domine, fortitudo mea*, rationes aliquas hisce verbis adducit : « Astuavit et fatigatus « est, non ex necessitate, sed propter multiplices « causas. *Primo*, ut susceptæ carnis, atque indutæ « a se humanitatis veritatem demonstraret. *Secundo*, ut sua fatione nobis requiem mereretur « æternam, gratiam quoque copiosam in sæculo « isto. *Tertio*, ut nos ad fortem atque æquanimum
- « Sanctorum laborem et fationem tolerantiam « animaret, sicut et alibi loquitur : *Venite ad me « omnes qui laboratis, etc.* »
5. — S. Augustinus, *Serm. xx de temp.*, ait : « Tunc fatigatur Christus, quando nullam virtutem « in suo populo recognoscit, hodieque fatigat eum « inobedientia nostra. » Verumtamen, ut verum fatear, quod si peccatum aliquod Filio Dei aliquam, ut ita dicam, fationem conciliat, illud vel maxime contingit, quando animam aliquam carnis vitio immersam, qualis illius Samaritanæ erat, ad salutis statum perducere salagit ; nam ut est apud Oseam, v, 4 : *Non dabant cogitationes suas, ut revertantur ad Dominum, quia Spiritus fornicationum in medio eorum.*
6. — S. Bernardinus de Senis, *fr. ii, Serm. xxxi*, dicit : « Tunc fatigatur Christus, quando mulier « Chananaea affectione fervens, sollicitudine quærens, clamoribus petens, filiam, id est, animam « suam salvari deprecatur et nihilominus Jesus fugit, « obmutescit et spernit velut canem, et eam quoque « dammodo abhorreere apparet, e contra hanc Samaritanam insectari videtur etiam suis inspirationibus renitentem. » Huic autem difficultati responderi potest Christum Dominum nobis in Chananaea conditione declarare voluisse, quas in anima orante exposcit ; in Samaritana autem zelum adumbrare voluisse, quem in lucro animarum errantium habere debeamus. Ecce etenim qualiter Filius Dei ad instar solliciti et viscerosi amantis

Pastoris in sudoribus et fatigationibus perditam hujus anime oviculum inquirere et lucrari satagat. S. Bernardinus, *Serm. x in Cant.*, ait: « Mullum fatigationis assumpsit, quo hominem debitorem teneret; » unica duntaxat hæc anima erat et tamen laetus Deus pro sola hæc anima tam ardentem zelat. Tertullianus, *lib. de Pern.*, viii, ait: « Erat una Pastoris ovicula, sed grex una charior non est, una illa requiritur, præ omnibus desideratur. »

Ex itinere.

7. — *Exultavit ut gigas ad currendam viam, a summo celo egressio ejus; ponderanda enim est infinita illa, que est inter sinum æterni Patris et Nazareth, distantia, e qua labor itineris facile æstimari poterit.* S. Augustinus, *tract. xv in Joann.*, ait: « Item autem ipseus est caro pro nobis assumpta, qui enim ubique est, quo it, nisi quia non ad nos veniret, nisi formam visibilis carnis assumeret, ideo fatigatus ab itinere quid est aliud, quam fatigatus in carne? Iter Christi incarnatio, » ut Interlinearis quoque interpretatur.

Sedebat.

8. — « Post labores quæsit refrigerium, » inquit Lucas Brugenis, « ne quis ultra modum putaret corpus esse infestandum. »

9. — S. Antonius de Padua, *Serm. in hoc fer.*, ait: « Qui tot horis graditur ad requirendum peccatorem et a quo peccator tot horis discessit ad calorem et a quo peccator tot horis discessit ad adulterium, id est, ad diabolum accedendo. Quid mirum, mi Saluator, si tanta ingratitude fatigaris et cum sedes, supra fontem sedes, et hora quasi sexta. Sedes, inquam, quia benigne et patienter expectas; super fontem sedes, scilicet misericordiæ tuæ, ut inde salutis potum tribuas homini æstuanti. »

10. — Beda hanc sessionem in sensu mystico hoc modo exponit: « Quamquam illud quod sedit, quoniam solent sedere Doctores, possit alio intellectu non humilitatis modestiam, sed magistri denotare personam. »

Sic.

11. — « Quod autem sedebat sic, » inquit Theophylactus, « significat simpliciter, et ut forte obveniebat, et non super sedem, sed simpliciter, videlicet super pavimento. » Cajetanus ait: « More fatigati innixus fontis, puta applicato brachio super labium fontis ad sustinendum caput, sic enim fatigati sedere. »

12. — Porro dicitio illa, sic, in aliis quibusdam novi Testamenti locis est expressiva mysterii: *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret.* Ubi Chrysostomus ait: « Stupescens tonitruum filius, consideransque charitatis divinæ excellentiam, clamabat et dicebat: *Sic Deus dilexit;* videtur

« quanto miraculo plena sit hæc dicitio, sic. » Idem S. Joannes, tametsi alioquin adeo esset eloquens et sapiens, in hac tamen occasione alia dictione non utitur, quam illa, sic. Beatissima Virgo ut Filio suo dolorem in ejus amissione perperam exprimeret, ait: *Fili, quid fecisti nobis sic?* Centurio ait: *Videns quia sic clamans expirasset.* Unde S. Joannes per hanc dictionem divini hujus Pastoris anxietatem ardentissimumque ejus amorem denotare voluisse videntur, quo in perditæ hujus ovicula assidua requisitione æstuebat.

Supra fontem.

13. — Merito hujus Samaritanæ conversionem hoc in loco aggreditur, qui olim per Zachariam, xii, 1, prædixerat: *In illa die erit fons patens domi David et habitantibus Jerusalem in ablatione peccatorum.* In Apocalypsi quoque, vii, 17, dicitur: *Deductet eos ad vitæ fontes aquarum.*

14. — S. Bernardinus ait: « Mystice fons iste, super quem ascendit Dominus noster Jesus Christus, est sancta Crux; ipsa enim fons est omnium gratiarum. » De ejus quoque sacratissimis vulneribus textus ille Isaie exponitur: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.*

15. — S. Augustinus, *Serm. xxi de temp.*, ait: « Sedit Dominus supra puteum, ut non in altitudine nem queramus equam, sed de eo fonte, qui super omnes aquas est, salutaris nobis pocula hauriamus. » Porro aquæ, id est, deliciæ et bona hujus mundi sitim in nobis non restinguunt, sed potius vehementer accendunt. *Jerem.*, n, 18: *Quid tibi vis in via Egypti, ut bibas aquam turbidam?* Isaia quoque xxix, 8, dixit: *Sicut somnians sitiens et bibit, et postquam fuerit exprofectus, lassus adhuc sedit et anima ejus vacua est, sic, etc.* Qua similitudine rerum harum terrenarum omnium instabilitas optime exprimitur.

16. — Observandum quoque quod S. Joannes aquam illam fontem appellet: *Erat ibi fons Jacob; sedebat sic supra fontem.* Samaritana vero illam appellat puteum altum et profundum: *Puteus altus est, Jacob dedit nobis puteum.* Responderi autem potest, id factum esse, quia puteus ille quamvis altus et profundus, apud Deum fuisse ad instar fontis ejusdem, e quo ab unoquoque magna cum facilitate bibitur: *Venite ad me omnes qui laboratis et ego reficiam vos; si quis sitit, veniat ad me et bibat.* Omnes sitiens, inquit Isaia, li, 1, *venite ad aquas, et qui non habetis argentum, properate, emite et comedite;* non vero ita penes mundum fieri solet, in hoc namque pro consequendis bonis ejus laboratur, et homo sudoribus et fatigationibus conficitur. *Puteus altus est.*

17. — Dionysius Carthusianus alia motiva adducit: « Primo, quoniam sitiebat et bibere voluit. Secundo, quia per fontem et aquam designantur

« fluentia sapientiæ Christi quam ipse suis propinat electis, juxta illud Isaie, xii, 3: *Haurietis aquas de fontibus Salvatoris.* Tertio, ut occasione loci mulierem instruere, imo ex persona propriam mulieris Samaritanæ totam Ecclesiam ex gentilitate conversam. »

Hora erat quasi sexta.

18. — Albertus Magnus meridiem fuisse censet: « Hoc est meridies, quando sol in summo cœli consistit et undique per cardines orbis lumen suum diffundit et maximi caloris existit; quod etiam congruit, quando Sol justitiæ Christus Deus noster lumen suum etiam ad gentes diffundit et quando calorem suæ charitatis ad omnes expandit. » Unde Hugo Cardinalis considerat Christum in illa hora ob solis ardore merito lassum fuisse et sudoribus perfusum: « Patet quod calore confectus erat, quia tali hora jam ascendit sol ad altiore gradum nostri hæmispherii. »

19. — S. Cyrillus a Janzenio citatus Evangelistam dixisse notat: « Quasi sexta, ut discamus vel in minimis non parvam veritatis curam habere. »

20. — S. Bernardinus illam diem horam ferendam esse considerans, ita scribit: « Id est, summo charitatis et dilectionis ardore. »

21. — Isaie, xviii, 12, Deus dicit: *Hæc est requies mea, refectio lassum et hoc est meum refrigerium;* justum itaque erat, quod Filius ejusdem cum æterno Patre suo sententiæ esset, *fatigatus ex itinere.* Sed qualis erat, quam desiderabat lassorum membrorum suorum refectio? Nimium animæ illius errantis salus et conversio. Notanda autem est hora illa mystica, de qua S. Augustinus, *Serm. xxi de temp.*, ita scribit: « Sexta die Deus de limo terre hominem figuraverat; sexta hora venit Samaritanam visitare, ut si in eum Samaritani crederent, ipse in eis inciperet requiescere; ut verum illud quietis celebraret; » requies enim, sicut et cibis Christi, animarum et præcipue gentilitatis, conversio erat.

22. — Chrysostomus, *Hom. de Samar.*, ad illud se tempus reflectit, quo Eva prevaricata fuit: « Venit hora sexta, quandoquidem et cum Eva mandatum in paradiso transgressa est, hora puteus sexta, ideoque servata est Samaritana eadem hora. » Simon de Cassia autem præ cunctis aliis horæ illius mysteria longe fusius combinavit, dum ait: « Sexta die factus est, qua et peccavit homo et quasi hora sexta ejectus de paradiso et sexta hora, ideoque servata est Samaritana eadem hora. » Simon de Cassia autem præ cunctis aliis horæ illius mysteria longe fusius combinavit, dum ait: « Sexta die factus est, qua et peccavit homo et quasi hora sexta ejectus de paradiso et sexta hora, ideoque servata est Samaritana eadem hora. »

23. — S. Augustinus ait: « Id est, sexta ætate generis humani, tanquam senectute veteris ho-

« minis; » cui Rupertus Abbas Tuitiensis perfecte concinit, dum ait: « Quia videlicet nunc, dum ipse Dominus omnium ad dexteram Patris residens regnat, sed mundi voluit atas. »

24. — Per hanc quoque horam passio et mors Salvatoris intelligitur: « In summo æstu passionis et mortis. » Lyranus verba hæc in morali sensu explicans dicit: « Ista fatigatio fuit signum passionis Christi future tali hora. » S. Antonius de Padua ait: « Hora sexta sedes, quia non restat nisi sententia contra peccatorem ferenda, et tamen sedes. Ista est hora sexta, quando scilicet sedisti in fonte misericordiæ tuæ super crucem. »

25. — Hugo Cardinalis ab hac hora satis clare deduci posse dicit, ipsum longam viam, eamque magna cum velocitate confectis, idque nullo fine, quam ut mulierem hanc in bonam viam deduceret. Indee hanc deducit moralitatem: « Quando sol est in fervore suo, id est, peccator in ardenti desiderio peccandi; tunc enim quandoque visitat eum Dominus. Unde Michææ, iv, 10: *Veniens usque Babylonem, ibi liberaberis.* » Et S. Ambrosius, *lib. II de Spir. S., cap. xx*, ait: « Quamvis mane venire deheris, tamen etiam serius venies, etiam sexta hora Jesum fatigatum invenies, fatigatus est, sed in te, quia tui te quæsit, tua illum tam diu incredulitas fatigavit. »

VERSUS 7.

Venit mulier de Samaria haurire aquam; dicit ei Jesus: Mulier, da mihi bibere.

Venit mulier de Samaria.

1. — « Videri posset mulier casu venisse, » inquit Lucas Brugenis, « sed qui omnia dispensat, mentem illius arcano ducebat impulsu, ut tunc veniret, quando fons vitæ Christus illic erat præsens. » Similiter sicut venatores certum quemdam sibi de industria locum eligunt, in quo separatam feram opportune expectare se posse putant, ad eundem quoque modum Christus fatigatus, juxta puteum sese collocavit, ut mulierem illam expectaret, cujus anhelo pectore desiderabat salutem, tametsi illa natalibus vilis, pauper, imo et fornicaria esset, nihilominus, *Fatigatus ex itinere* divinæ eloquentiæ suæ relia explicans, fecit quantum movit et quantum potuit, ut illam lucraretur; siquidem animæ a Deo non ex nobilitate et divitiis, vel alia simili conditione considerantur, aut estimantur, sed in quantum, ut S. Joannes, i, 23, dicit: *Non ex sanguinibus, aut voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt;* et ideo apud Deum omnes animæ pari in pretio habentur.

2. — S. Augustinus, *tr. xv in Joann.*, ait: « Hæc mulier forma est Ecclesie non justificatæ, sed jam justificandæ; » ipsa namque a Samaria ci-

vitate schismatica, et a Judæa quoad religionem et fidei cultum divina precedebat, id quoque huic mysterio multum conferebat: « Ventura erat enim « Ecclesia de gentibus, et aliena, a genere Judæo-
« rom. »

Haurire aquam.

3. — S. Antonius de Padua, *Serm. in hac fer.*, ait: « Egreditur ad hauriendam aquam carnalium « voluptatum, et corporalium delectationum; pu-
« teus est mundana concupiscentia, in qua continen-
« tur voluptates mundanæ, quæ sunt aquæ morti-
« feræ. » Et ideo hoc loco observandum est, quod S. Joannes hanc mulierem ex proprio nomine non specificet, eo quod non solum de peccatoribus scrip-
tum sit, Ps. xv, 4: *Nec memor ero nominum eorum per labia mea, verum insuper Apostolus, ad Ephes., v, 3, de his, qui peccato carnis coinquinati sunt, dicat: Formicatio autem, et omnis immunditia nec nominetur.* S. Bernardinus hujusce mulieris patriam considerans scribit: « Samaritana interpretatur anima « vana, quæ querit tantummodo lascivias, delec-
« tationes, luxuriam, avaritiam, et omnia desideria « mundi. » Porro tametsi hæc mulier dissolutam hanc vitam diversis cum adulteris tanto tempore duxerit, nihilominus adeo pauper et inops erat, ut in ipsa meridie, dum sol vel maxime ardet, ipsammet in propria persona ad aquam procul a civitate scaturientem hauriendam se conferre debuerit, eoque sine non vas aliquod aneum, sed fictile secum attulerit; unde clare satis verissimum esse colligitur, quod de hoc vitio Scriptura, *Job., xxxi, dicit: Ignis est usque ad perditionem devorum, et omnia eradicans.* Nulla mulier quæstum agens meretricium, vel pauca admodum lascive vivendo locupletatur, prout in hac fornicaria videre licet, quæ ne tantillum aquæ, quantum cyathus capere potest, domi habebat, tametsi actualiter vero eandem fornicarie et lascive convivere: *Et nunc quem habes, non est tuus; et licet hic publice mariti loco ab aliis haberetur, ecce tamen vilem miseræ illius mulieris famam et æstimationem, justa namque Dei permissione circa hunc sexum carnalibus voluptatibus deditum contingit, quod: Omnis mulier, quæ est fornicaria, quasi stercore in viâ conculcabitur. Eccl., ix, 10.*

Dicit ei Jesus: Mulier, da mihi bibere.

4. — Cajetanus quoad sensum litteralem scribit, Christianum ideo juxta hunc fontem consedis-
« se, quia ibidem cum suis Apostolis prandere staterat, qui prout in civitate ea, quibus opus habebant, procuratori concesserant, verumtamen, ut idem Doctor scribit: « Occasione oblata, quanquam fati-
« gatus, vacat instructioni, evangelizare intendit « mulieri, et suaviter volens eam trahere ad spiri-
« tualem doctrinam, petit potum, non ratione quod « bibere vellet, sed ut invitet illam sic ad Evange-

« lium. » Potum ab illa petiit, cum adhuc jejunos
« esset, et prout tandem in fine videtur, allatis cibis
« et potu præsenle nec manducavit, nec bibit; quia,
« ut ait Toletus: « Petit non ut biberet, sed ut suo
« sermone mulieris mentem inciperet illuminare. »
« Porro Jansenius rationem assignat, cur de potu
« parum adeo curavit, dum ait: « Ex eo patet, quod
« exorta colloquutione, aquæ desiderium reliquerit. »

5. — Glossa in sensu allegorico ita scribit: « Petit a primitiva Ecclesia, quam de Gentibus
« elegerat, potum fidei qua in eum credatur. »
6. — « Quid sitis Domine? » verba sunt Antonii
« de Padua Salvatorem interrogantis, *Serm. xxxvi*:
« Certe salutem illorum, ut ait Augustinus, pro
« querum salutem tuum sanguinem fudisti; sitis
« ex calore procedit intrinseco, hunc calorem, sci-
« licet accensum amore Christus habebat, qui
« ipsum faciebat sitire. » Considerat S. Ambrosius
« Christum quadraginta diebus sine ullo cibo et potu
« vitam suam transigentem: *Postea esurit*; hic bi-
« bere postulare, at vero, « esurit et sitivit, » inquit
« S. Ambrosius, « non cibum aut potum humanum,
« sed salutem. » Similiter Albertus Magnus ait: « Plus
« sitivit salutem femine, quam potum aquæ. » At
« vero reflexio, quam Toletus hac super sitit, facit,
« intensissimi desiderii vehementiam, quam salutis
« ipsius habebat, magis exprimit, dicit enim: « Vox
« est deprecantis, et qui imperare poterat Angelus,
« vilem adulteram et infidelem mulierem rogat,
« adeo enim hominum diligit salutem, ut quod
« nostra summopere interest, etiam precibus fla-
« gitet. »

7. — Verissimum semper est illud axioma, Ps.
« xv, 1: *Dixit Domino, Deus meus es tu, quoniam bo-
« norum meorum non egres.* Unde bibere ab illa po-
« sse, is qui fons est aquæ vivæ, ut hinc divinæ
« suæ gratiæ eidem afferenda, dandique illi luminis
« notitiæ suæ occasionem capret; ideoque imaginari
« nobis possumus, clarius ipsum huic mulieri dixisse:
« *Sitivit in te anima mea.* Sic quoque Elias sumpit a
« vidua illa postulavit, potius ut eandem illi daret,
« illamque locupletaret, quam ut subsidium ab ea
« reciperet. Unde Basilius Seleucus, *Orat. xi*, dicit:
« « Hydriam vertit in alimentum fontem, » et S. Am-
« brosius, *lib. de Abrah.*, dicit: « Exiguo cibo per-
« petuum toto tempore famis invenit alimentum, »
« ita quoque hic Christus hanstum aquæ expetit, ut
« perennem quemdam ei impertiretur fontem: « Ut
« flieret in ea fons aquæ salubris in vitam æternam. »
« Chrysologus, *Serm. viii*, ait: « Petit Deus, sed tibi,
« non sibi, humanam petit misericordiam, ut lar-
« giatur divinam. » Origenes dicit: « Que obtuleris
« Deo, multiplicata recipies: videmus quidem Do-
« mino negotiari, sed nobis cedunt lucra negotia-
« tionis. Vide quod est amittere aliquid pro Deo: «
« hoc est multiplicata recipere tibi. » S. Bernardus
« de hac petitione hunc in modum scribit: « Id

« est, quæ tantum dedisti bibere mundanis desi-
« deris, da mihi bibere modicum gustando de
« aqua vivi fontis et delectationis spiritualis, quia
« volo implere tuum vas charitate et gratia Dei, et
« tuam mentem lumine veritatis. » Idem quasi in
« S. Chrysostomo scriptum legimus, dicit enim:
« Fons vite juxta fontem sedens, bibere poscit,
« non bibere volens, sed potum dare; » pauloque
« post, quidam illi dare intenderit, declarat dicens:
« Da mihi bibere, ut dem tibi bibendam aquam
« immortalitatis. »

8. — In hoc quoque facto Salvator noster præ-
« clarum nobis edidit sobrietatis et temperantiæ
« exemplum, quia circa meridiem famelicus, fatiga-
« tus et sitibundus existens, pro lassæ corporis res-
« tauracione vix modicum aquæ haustulum expetit.
« Unde Hugo Cardinalis ait: « Dominus post labores
« monet nos ad parcitatem et sobrietatem in hoc,
« quod fatigatus sedit supra fontem; et petit aquam
« ad potum, et de cibo sibi adhuc hora sexta non
« fuerat provisum. »

9. — Idem quoque advertit, quod « Mirum est,
« quod ponis esurit, et fons sitit, via lassatur, sed
« hæc omnia propter nos. »

VERSUS 8.

*Discipuli enim ejus abierant in civitatem, ut
cibos emerent.*

1. — Theophylactus ex hoc modicum Christi
« curam colligit, quam pro vieta habuit: « Ut quo
« tempore ferme omnes a prandio dormiunt, illi
« cibos emerent, et panes duntaxat. » Lyrano illos
« tanquam pauperes et mendicos juxta publi-
« cum puteum manducare voluisse notat: « Nec ad
« magna hospitia in villas declinabant. »

2. — Porro videri potuisset sufficere, si pro
« modico pane procurando unus duntaxat, vel ad
« summum duo in urbem concessissent, et tamen
« non sine mysterio omnes eo dimisit, ut solus esset.
« Albertus Magnus ait: « Ex dispensatione divinæ
« sapientiæ factum est hoc, ut de secretis Christus
« alloqui mulierem posset. » Nec constat, quod
« inceps quoquam ille discipulis retulit, quæ inter
« se locuti fuerant ipse et Samaritana: « Sicut con-
« fessor peccata quæ scit, coram aliis revelare non
« debet. » Toletus quoque Salvatoris discretionem
« considerat, qui Samaritanæ confusioni et erubes-
« centiæ consuleret et parcere voluit: « Forte omnes
« ablegati fuerant a Domino captante solitudinem,
« ut consuleret hujus mulieris pudori, et locus da-
« retur liberius delictum illius notandi. »

3. — Hugo Cardinalis mysticam quamdam expo-
« sitionem adducit, dicit enim: « Discipuli Christi
« sunt predicatorum disciplinati, habentes zelum
« animarum, quo nullum est Deo placidius sacri-
« cium, ut dicit Gregorius, qui ingrediuntur civi-

« tatem Ecclesie vel mundi, ut cibos emanet, id est,
« peccatores ad Christum convertant. »

VERSUS 9.

*Dicit ergo ei mulier Samaritana: Quomodo tu,
cum Judæus sis, bibere a me possis, quæ sum
mulier Samaritana? Non enim contantur Judæi
Samaritanis.*

1. — Dionysius Carthusianus eam Christum ex
« habitu Judæum esse agnovisse existimat, eo quod
« juxta usum Judæicum in vestimento suo fimbrias
« portavit: « Eliam ex dispositione vultus et sermone.
« Unde Matthæus, *xiv, 36*, ait: *Quotquot tangebant
« fimbriam vestimenti ejus, salvi fiebant.* » Samaritani
« autem apud Hebræos schismatici erant, utpote qui
« una cum ipsis iis materia religionis, aliorumque
« rituum minime conveniebant.

2. — Lucas Brugensis dicit: Judæi, « non utun-
« tur eodem convictu, eadem mensa et vasculis
« cum Samaritanis. » Cajetanus dicit, quod quia
« Samaritani in societate idololorum Deum verum
« adorabant, magis Judæis exosi fuerunt, quam qui
« plane Gentiles erant; sicut nos magis hæreticos
« quam paganos abhorruimus.

3. — Chrysolomus ait: « Existimus eum pec-
« care, corripientis more ad memoriam reducit
« observantiam. » Nimirum Samaritana hæc de
« zelo et superstitione Pharisæica participabat, de
« quibus Christus dicit: *Excolentes cuticem, camelum
« glutientes.* Etenim nullum sibi ex eo faciebat scrupulum,
« quod in adulterio continuo viveret, et tamen
« Filium Dei ex eo reprehendere præsumebat,
« quod lassus et præ sudore madescens aquæ haustulum
« ab ea deposeret. Enimvero nusquam in
« Evangelio discipuli in Samaritiam ad prandium pro-
« curandum missi, a Samaritanis repudiari, aut ali-
« quam ab illis contradictionem passi fuisse leguntur,
« cum tamen verisimile sit, ex illis multos fuisse
« legis suæ observando longe zeliosiores, quam fuerit
« mulier hæc Samaritana, verumtamen facilis ad hoc
« est responsio, si consideretur, quod Evangelista
« Apostolos missos fuisse dicat, ut cibos emerent;
« ubique enim utilitas vel interesse in rem ali-
« quam ingrediendi, oculis ad quemvis alium respectum
« facile clauditur.

4. — Toletus ait: « Hæc verba quamdam insi-
« mulationem continent, vox est exprobandis; »
« ecce tibi quousque zelus quem Salvator noster de
« salute animæ duntaxat animæ habuit, pertigerit,
« libenter enim se alicujus fornicariæ mulieris repre-
« hensionis submittit, eamque patienter auscultat,
« seque stilla aquæ indigere demonstrat, ut animam
« talem salvare posset.

5. — Hugo Cardinalis hoc loco querit, cur Sal-
« vator noster petitionem hanc, quæ legi adversa-
« batur, apud mulierem hanc fecerit? Et respondet:

« Petebat, non quia vellet bibere, sed quia hac occasione volebat in verba instructionis intrare; » vel propter mysterium, ut significaret quod sitit « salutem et fidem Ecclesie, vel animæ illius; la- » men si bibisset, contra legem non fecisset Do- » mus legis. » Præterquam quod idem præcepta legalia in casu necessitatis nequaquam obligare ostendat, siquidem in simili casu David ex panibus propositionis sese reficere non dubitavit.

6. — Verisimile est quod mulieri huic in continuis carnis voluptatibus vivere assuetæ, Christus, mox ut ab ea visus fuit, spina in oculis ejus a principio fuerit, siquidem sola justorum sanctorumque hominum presentia a malis protinus apprehenditur velut tacita quadam vitiorum suorum censura; ac proinde quid mirum si ipsa haustum aque illi petenti abnuat, et quidem aque illius, de qua ipsa met, Jacob Patriarcham ipsis quoque jumentis ex ea potum dedisse asserbat? Quotidiana experientia teste videmus, quod homines mundani ad satisfaciendum propriis appetitibus valde liberales existant, arcuos vero et tenaces se erga Deum exhibeant; ad hoc ut hanc vel illam voluptatem assequantur, ut in iudiciis facultates suas discrimini exponant, ut hac vel illa dignitate potantur, non desunt pecunia; et tametsi deessent, facile tamen ad illas inveniendas reperiunt medium, ad vero eum distribuenda aut eroganda est in pauperes quantum modica elemosyna, pauperes se esse declarant; cum faciendâ est oratio, capitis debilitatem præterdunt; aut sanitatem se læuros esse causantur, cum jejunandum est; et tamen ad crapulas, ebrietates, lascivias frequentandas vires illis sufficientes habent. Si Christus bibere postulet, si vel acetum requirat, si forte vinum illi largiantur, illud tamen myrrha amarissima permixtum et conditum porrigit.

7. — Hugo Cardinalis in sensu morali ita scribit: « Ita quandoque dicit peccator, si convertere rem me ad Deum, quomodo acceptaret ipse servitium meum, qui tam magnus peccator sum? » Non enim coartantur Judæi cum Samaritanis, quasi dicat: Quæ societas lucis ad tenebras? Quæ conventio Christi cum Belial? Respondit Jesus, et dicit: *Si scires donum Dei, id est, benignitatem Spiritus Sancti; dicit Dominus in corde peccatoris: Et quis est qui dicit tibi: da mihi bibere.* » id est, quam benignus est, qui a te tuam fidem et tuam salutem dignatur silenter petere; si scires quam paratus est ad dandum, et quam fervens et importunus est ad rogandum de his, que sunt ad profectum tuum, forsitan petisses ab eo, id est, fiduciam petendi concepisses: quis enim desperat, ubi offert se gratia, imo ubi cognovit sua petitione importunam? De prima dicitur, *Prov.*, 1, 24: *Extendi manum meam, ad dandum scilicet; tanquam filiis se offert nobis Deus;*

« de secundo, quomodo scilicet rogat, dicitur, » *Math.*, xi, 28: *Venite ad me omnes qui laboratis,* » etc. »

Versus 10.

Respondit Jesus, et dixit ei: *Si scires donum Dei, et quis est qui dicit tibi: Da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam.*

1. — « Gratiam et misericordiam Dei, » inquit Dionysius Carthusianus, « qua tibi nunc offeretur » per hoc, quod Filius Dei petit potum a te, nempe « qui Christo aliquid dat, potius recipit beneficium, » quam impendat; quemadmodum magnum esset « pauperi, si Rex peteret quoque parvum ab eo. »

2. — Notanda est dictio illa: *Si scires*; siquidem *Animalis homo non percipit ea que sunt spiritibus,* multo minus autem vitio carnali immersa luminis divini et notitiæ Dei capax esse potest.

3. — Cajetanus per hoc donum Messiam intelligit: « Ubi non explicando rem dono datur, insinuare videtur donum mundo datum, de quo supra perit dictum est: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* »

4. — Lucas Brugensis optime considerat, quod sapientissimus Magister noster petitioni factæ de potu porrigendo minime insistit, sed differentem omnino discursum cum illa ineat, efficiendo ut ipsa eodem tempore clare cognoscat sibi nullum esse aquæ defectum, hanc autem aquam ad bibendum ideo ab illa deponat: « Ut occasione haberet eum » illa colloquendi, et agendi de rebus ad salutem « illius pertinentibus. » Idem quoque auctor observat, quod Christus ad oppositionem sibi a muliere factam, scilicet: *Quomodo tu Judæus cum sis, etc.,* minime responderit, ejusque hanc rationem reddidit. « Non enim probabat in hoc Judæorum » institutum, quos non tam religionis studium, » quam supercilium, et propriæ gloriæ aura ducebat; festinat ad exponendum celestem thesaurum. »

Et quis est, qui dicit tibi: Da mihi bibere?

5. — Albertus Magnus ait: « Ille enim est dives » in omnes, qui invocant illum, *1 Corinth.*, 1, 15. » *In omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo,* » et *in omni scientiâ.* »

6. — Dionysius Carthusianus ait: « Id est, si » me agnosceres, si me esse Deum et hominem » scires. »

7. — Hugo Cardinalis ad pauperes alludens ait: « Quia non pauper petit, sed Christus in paupere, » et Christo dicitur, non pauperi, *tu forsitan petisses,* etc. Id est, tu petisses quod pauper recuset peret a te elemosynam, et sic daret tibi eam, » quia tuus esset fructus, licet pauperis esset usus. »

Tu forsitan.

8. — Rationem, cur Christus hac dictione forsitan utatur, reddidit S. Bonaventura, nimirum: « Ob » libertatem liberi arbitrii: quod potest petere, et » non petere. » S. Antonius de Padua id ipsum his verbis scribit: « Propter liberum arbitrium, quod » cogi non potest a Deo de potentia ordinaria. » Idem quoque aliud quoddam motivum adjungit, nimirum: « Propter feditatem peccati, quia forsitan » tan non auderes apparere coram eo, quia omnia » secreta tua novit. Nota ex parte peccatoris est » forsitan, non ex parte Dei, qui semper est paratus. » Quotidie pro hoc dicitur, quod magna pars Christianorum cum omni eo lumine, quod a Deo habebant, et cum omnibus Christiane vivendi et operandi commoditatibus, celestibus tamen inspirationibus minime correspondeant aut cooperate, imo quod illi, qui carnales sunt, qualis hæc mulier erat, omnibus auxiliis, que Deus illis specialiter offert, proterve opponant: *Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est.* Gen., vi, 3.

Petisses ab eo.

9. — S. Thomas, in *Joa.*, duo motiva considerat, que nos ad divinam gratiam postulandam impellant: « Scilicet ex cogitatione desiderandi » boni et ex cognitione datoris, et ideo duo cognoscenda proponit. Primo, ipsum donum: *Si scires donum Dei,* quod est omne bonum desiderabile, » quod est a Spiritu Sancto. Secundo, proponit » ipsum datorem; unde dicit: *Et quis est qui dicit tibi: Da mihi bibere,* etc. »

Et dedisset tibi aquam vivam.

10. — « Per talem aquam, » inquit S. Bernardus, « gratia gratum faciens significatur, quod » nunquam sine Spiritu Sancto est, imo sine Iohanne » Trinitate esse non potest. »

11. — S. Augustinus, *lib.* LXXXIII, q. 9, q. 65, ait: « Ille ostendit non se talem aquam petisse, » qualem ipsa intellexerat, sed quia ipse sitiebat » fidem ejus, eadem sitienti Spiritum Sanctum dare » cupiebat, hanc enim recte intelligimus aquam » vivam. » S. Thomas ait: « Viva aqua est, que » suo principio continuatur et effluit, secundum » hoc gratia Spiritus Sancti datur homini, quod » tamen ipse fons gratiæ datur, scilicet Spiritus » Sanctus, imo per ipsum datur gratia. » S. Antonius de Padua rationem reddit, cur gratia sua aquæ symbolo hic exprimitur: « Propterea quod purificat et multum refrigerii præbet suscipientibus; » dicit, *vivam,* hoc est, saturientem et que moveatur; nam gratia Spiritus semper agiliam ad bonum facit animam. »

12. — Jansenius ait: « Aqua dicitur, quod » purget animam a sordibus peccatorum, quod

« refrigeret æstum noxiarum cupiditatum ac mentem fecundet, sed ad propositum maxime, quod » sitim carnalium rerum tollat. » Idem quoque, qua ratione viva appellatur, declarat dicens: « In modum aquæ semper profluentis nunquam quiescit, » sed assidue procedit, ad ulteriorem virtutum progressum provocans, vivificat mentem hominis et » ad æternam vitam perducit. »

13. — « Jesus vili muliercula, » inquit Lucas Brugensis, « haustum aque e puteo negavit aquam » vitæ pollicetur, ita videlicet propter vos egenus » factus est, cum esset dives, ut illius inopia nos » divites essemus; » quibus verbis veritatem ostendit illius quod dicit, *Math.*, x, 42: *Quicumque potum dederit uni ex minimis istis, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.*

14. — Aqua viva, que civitatem Dei, id est, Ecclesiam percurrit et ad finem usque sæculorum, percurrat, que ex aperto ejus latero egressa fuit, de qua S. Augustinus, *tr. xix in Joann.*, ait: « Unde » Sacramenta Ecclesie manaverunt, sine quibus » ad vitam, que vera est vita, non intratur. »

15. — Advertendum quoque est, quod dum Christus juxta puteum una cum Samaritana consisteret, illaque hydriam ad aquam hauriendam penes se haberet, Christus discursum suum cum illa de aqua instituerit, se quoque bibendi cupidum demonstravit, atque sub aquæ symbolo de divina gratia tractare cœperit, idque ut tanto magis se ejus adaptaret capacitati; sic quoque stella mediante Magos, qui Astrologi erant, vocavit; Apostolis piscantibus dixit: *Faciam vos fieri piscatores hominum;* cum Nicodemo vero et Nathanaele, qui docti eruditi erant, cum illo de serpente leno, cum hoc vero de Scripturæ textibus locutus fuit, quia utrumque talis discursus capacem esse sevit; nimirum *omnibus omnia factus, ut omnes lucrifaceret.*

Versus 11.

Dicit ei mulier: Domine, neque in quo haurias habes et puteus altus est; unde ergo habes aquam vivam?

1. — Notandum, hæc mulier verborum Christi mysterium non assecuta fuerat, ideoque eum ad capiendam aquam vase carere videns, minime, qua ratione illi oblatam sibi aquam vivam dare posset, intelligebat. Hugo Cardinalis quoad sensum spirituales hæc verba explicans dicit: « Hauritorium » est cooperatio gratiæ, quia etsi Dominus gratiam » paratus sit dare, sicut habetur, *1 Petri*, 1, 13: » *Sperate in eam, que vobis offertur, gratiam,* tamen » cor ad suscipiendum et hauriendum eam oportet » habere. »

Puteus altus est.

2. — S. Bonaventura per hujus putei altitudi-

nem Sacramentum Baptismi figuratum esse existimatum: « Est puteus aquæ baptismalis, regenerationis et lavantis lavacro aquæ »

3. — S. Bernardinus per profundam hanc aquam vitam intelligit, in qua mulier illa se præcipitem egerat: « Puteus profunditas concupiscentiæ, luxurie, superbiæ, avaritiæ, gula, iræ et acidiæ; et cæcivum fumus de puteo abyssi, Apoc., ix, 12; scilicet cet superbiæ, luxuriæ, avaritiæ. »

4. — S. Thomas per puteum profundum sacram Scripturam intelligi dicit: « Per altitudinem seu profunditatem putei intelligitur sacræ Scripturæ profunditas et sapientiæ divinæ; hauritorium autem, quo aqua sapientiæ salutaris hauritur, est oratio. Jacobi, 1, 5: *Si quis indiget sapientia, postulet a Deo.* »

5. — Beda per putei hujus altitudinem, ejusque profunditatem labores hominum, quos in hæc res temporales et terrenas adhibent, intelligit: « Ergo nunc puteus mundi hujus terrenum laborem et errorem tenebrosa profunditate significat. »

6. — Cum igitur divina gratia in aquæ profunditate figuretur, homines mundani communiter se illam assequi perdesperant: *Puteus altus est, unde ergo, etc.* At vero graviter in eo errant; quam enim abundantem Deus animabus illis, quæ se veraciter Deo dedicant, gratias et consolationes cælestes infundat, nemo credit, nisi qui id per experientiam probavit; neque enim via Dei adeo inaccessibilis et spinosa est, sicut illam esse mundani sibi imaginantur.

Unde ergo habes aquam vivam?

7. — « Non negat eum habere, » inquit Albertus Magnus, « sed presentibus intenta quærit, unde sit sibi facultas habendi aquam vivam promissam; Domini autem intentio est loqui de spiritu et gratia ejus, cujus hauritorium est spiritus, aqua autem viva est gratia purificans. »

VERSUS 12.

Numquid tu major es Patre nostro Jacob, qui dedit nobis puteum, et ipse ex eo bibit, et filii ejus, et pecora ejus?

1. — Lyranus Samaritanam dicere voluisse inquit: « Non potes mihi dare, nisi tu faceres miraculose, quod non videtur, quia major tunc esses Patriarcha nostro Jacob, quod non videtur. »

VERSUS 13.

Respondit Jesus, et dixit ei: Omnis qui bibit ex aqua hac sitiet iterum; qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.

Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum.

1. — Jansenius ait: « Qua responsione instrui-

mur, in disputationibus de veritate omnia missa « facere, præsertim quibus nos impetitur, tantum « omnem quærere occasionem docendi proximum, « quemadmodum hic his Dominum fecisse vidimus. »

2. — « Quod quidem verum est de aqua sensibili, » inquit S. Augustinus, *tr. xv in Joan.*, « et de ea, quam significat illa aqua; etenim aqua in puteo voluptas est, cum pervenerit quisque ad voluptatem hujus sæculi, numquid non iterum « sitiet? »

3. — Hugo Cardinalis, *Serm. xxxv in Cant.*, dicit: « Ita dicit Deus in corde peccatoris, ut dimittat « voluptatos et divitias, quia quo plus sunt potest, « plus sitiuntur aquæ. *Jerem., ii, 6: Traducit nos per « desertum, per terram sitis.* » Ubi Gilbertus Abbas ait: « Terra sitis, cupiditates enim mundanas magis « irritat, quam satiat. » S. Thomas ait: *Quia insatiabilis est delectationis appetitus.*

4. — Idem quoque S. Doctor de bonis spiritualibus exponit: « Hæc sitis in mundo isto usquequaque « non tollitur, quia bona spiritualia in vita ista « percipere non possumus et ideo qui biberit ex « hac aqua, adhuc quidem sitiet iuge perfectionis « nem; » unde in Ecclesiastico, *xxv, 29*, dicitur: *Qui bibunt me, adhuc sitient;* pergit vero S. Thomas ulterius dicere: « Sed non sitiet in æternum, quasi « ipsa aqua deficiat, quia ut dicitur in *Ps. xxxv, 9: « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ.* »

Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.

5. — Quodsi de aquæ elementari, quam Deus suis etiam hic in terris providit, sermo sit, *I Cor., x, 4: Bibebant de spirituâli consequente eos petra, petra autem erat Christus.* S. Ambrosius ait: « *Petra « erat Christus, eo quod sitientes sequatur, ne « sitientibus aqua desit. Quomodo sitient, » inquit Brugenensis, « qui inebriabuntur ab ubertate domus « tuæ? Satiabor, dicebat David, cum « apparuerit « gloria tua. » In Isaiâ dicitur: *Non esurient, neque sitient amplius.* Psalmo *xxxv, 9*, quoque habetur: *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Hugo Cardinalis argute considerat, quod Christus non solum dixerit: *Non sitiet;* sed insuper addiderit, *non sitiet in æternum;* « modo enim habentes tantum stillem gratiæ, « sitimus; sed in æternum, id est, in futuro, in « æterna vita, quando torrente voluptatis suæ potebit eos, non sitiemus; unde, *Apoc., vii, 16: Non « esurient, neque sitient amplius.* »*

6. — Toletus ad artificium illud se reflectit, quo incarnata Sapientia cum Samaritana loquens tititur: « Allicet mulierem ad credendam, desiderandam et « petendam aquam promissam per hoc, quod sitim expellat in æternum, ut mulier, que quotidiano « labore hauriendi aquam putei propter sitim frequentem premebatur, spe a tanto onere se libe-

« randi, facilem se ad credendum et querendum, « quod promittebatur, exhiberet. »

VERSUS 14.

Sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.

1. — Jansenius hanc adducit similitudinem et dicit, sicut si quis intra se et perenniter scaturientem fontem haberet, is utique nullam unquam passeris esset sitim: « Ita saturum esse oportet bonorum omnium, cui adest Spiritus Sanctus; » siquidem huic ab Ecclesia hic titulus attribuitur, quo appellatur *Fons vivus.*

2. — « Aqua corporalis deorsum fluit, » inquit Glossa, « spiritualis sursum salit et secum eos, qui « eam bibunt, in æternam gloriam subvehit. » Lyranus considerat, quod quælibet naturaliter tantum ascendere queat, quantum descendit: « Ideo « sicut aqua gratiæ a Deo in nos derivatur, ita per « ipsam animam ad Deum elevatur, quia per ipsam « homo consors divinæ naturæ efficitur. A quocumque « que bibita fuerit, » inquit Rupertus Abbas, « ad « matricem suam æternæ divinitatis abyssum resiliat. » Cajetanus ait: « *Salientis, non descendentes; « ecce quo ascendit, in vitam æternam.* Gratiæ enim, « quæ desorsum datur, » inquit Hugo Cardinalis, « sursum ascendit et ascendere facit, quia per gratiam venit ad gloriam. »

3. — Porro Spiritus Sanctus etiam ideo fons appellatur, quia in eo, qui eum recipit novas semper gratias scaturit; unde S. Augustinus ait: « Spiritus Sanctus animo hominis semel exceptus, « perpetuo in eum diffundit aquam donorum suorum et gratiarum, atque auxiliorum et divinarum « virtutum, utpote fidei, spei, charitatis, humilitatis, patientiæ, castitatis, etc., sanctarum denique « operationum. »

4. — S. Ambrosius dicit: « Dominus fons aquæ « vivæ appellatur, quia ex eo sitientia corda cælestis aquæ gratia irrigantur. » S. Cyrillus de hoc fonte scribens dicit: « *Qui biberit, inquit Christus, « ex aqua, quam ego præbeo, non modo nunquam « sitiet, sed illum in seipso fontem continebit.* »

5. — S. Thomas, in *Joan.*, per hanc aquam Spiritum Sanctum denotari nolat: « Quæ quandoque « aqua non secundum substantiæ proprietatem, sed « secundum similitudinem actionis. Ignis, quia « elevat eorum per fervorem; aqua, per purgationem. »

VERSUS 15.

Dicit ad eum mulier: Domine, da mihi hanc aquam ut non sitiam, neque veniam huc haurire.

1. — Mulier ista quotidie hunc fontem frequentare cogebatur, quia in domo sua aquæ penuria laborabat. Unde Hugo Cardinalis ait: « Quia sicut

« dicit Augustinus, ad laborem eundi propter « aquam quotidie indigentia aquæ cogebat, quia « indigentia illa per aquam reliebatur, non exlin- « guebatur et ideo petit talem aquam. »

2. — Valde etiam considerabilis est honorificus ille titulus, quem mulier hæc Salvatori attribuit, dum ait: *Domine;* antea illi tanquam homini abjecto et vili, velut improprie dixerat: *Quomodo tu Judæus cum sis, etc., nunc vero, quia aliquid ab eo beneficium consecuturam se esse sperat, Dominum illum vocat; solenne namque nobis est honore afflicere illos, quorum opera et ope indigemus, juxta ambitionis quæ affectum, proprietatem.* Unde S. Thomas ait: « Statim cum audit eum fore sibi utilem et aquam dare posse, Dominum eum vocat. » Dionysius Carthusianus vero ait: « Vidit enim in « vultu et habitu Christi, quod esset valde veneranda « persona, omni maturitate et probitate morum « effulgens, ideo nominat eum Dominum. » Ideo verisimile fit ex modo ipsis loquendi, quod eum plusquam hominem esse statim arbitrata fuerit: « *Verba vitæ æternæ habes, nondum tamen putavit « eum esse Prophetam, vel Christum, aut Deum.* »

Da mihi.

3. — Non petit a Salvatore aquæ oblatæ pretium, quia Deus per os Isaiæ, *lv, 1*, dicit: *Omnes sitientes venite ad aquas et qui non habetis argentum, proparate, emite et comedite, venite et emite absque argento; et absque ulla commutatione.* Divina enim gratia absque ullo precedenti merito homini confertur; unde in Apocalypsi, *xxi, 6*, Deus dicit: *Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis.*

4. — Lyranus hæc verba de Paganismo interpretatur, qui « Audita prædicatione Apostolorum « et aliorum discipulorum devote recepit fidem « Christi. » S. Augustinus ait: « Ille qui bibere « querebat, fidem mulieris sitiebat; » etenim in hac Samaritana, gentilitatis sitiebat conversionem ad fidem.

5. — S. Bernardinus nos ad hanc aquam postulandam his verbis invitat: « Sed et tu anima mea, « pete a Jesu tuo hanc aquam vivam Spiritus « Sancti, ut non sitiat voluptatis latus. »

6. — Albertus Magnus mulierem hanc jam de facto aquæ hujus mysterium et sacramentum intellexisse censet: « Scivit hæc mulier et experta fuerat, quod cupiditas facultatum, concupiscentia « deliciarum et ambitio honorum nunquam satiantur, sed semper cum labore haurire oportet. » S. Thomas de Villanova in sermone de hac Feria, ad nostram eruditionem hisce verbis exclamat: « O « anima misera et fatua! quid anxiaris? quid fatigaris? quid satietatem quæris ubi non est? an « ignoras quod aqua ista maris salsa et turbida « sitim non sedat, sed provocat; non extinguit, sed « incendit; non refrigerat, sed inflammat? » Idem

quoque Præsul querelam illam graviter ponderat, quam per Prophetam Evangelicam facit, dum caelos ad admirationem et stuporem et ad portas suas desolandas et diruendas hisce verbis, *Jer.*, II, 13, invitat: *Duo mala fecit populus meus*, inquit *Deus: Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ et foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Circa quæ verba idem ita scribit: « Aquam mundissimam, limpidissimam, clarissimam, dulcissimam, saluberrimam fontis vite gratis oblatam negligenter et cum magno labore foderunt sibi cisternas perforatas, ut bibant ex eis aquam turbidam, fœtidam, mortiferam, venenatam. Vere cisterna dissipata honor, cisterna perforata voluptas, divitiæ et omnis prosperitas mundialis. »

7. — Dionysius Carthusianus mulierem hanc duplicem sibi linem in hac aquæ illius petitione propositum habuisse existimat, videlicet, *primo*: « Ut a pona sitis libera esset; *secundo*, ut a labore hauriendi eriperetur, sic et nos spirituales hanc aquam a Christo cordialiter jugiterque petamus, et non siliamus ista terrena, quæ appetitum nequeunt satiare, sed quo eorum amori et occupationi homo magis involvitur, eo a divinorum contemplatione, dilectione et vera quiete ac libertate amplius impeditur, ac elongatur; neque veniamus huc haurire, id est, in exterioribus atque carnalibus consolationibus viles requirere, sed in Domino sit tota dilectio nostra. »

VERSUS 16.

Dicit ei Jesus: Voca virum tuum et veni huc.

1. — Quenam esse poterat necessitas, quod addendum ei hanc aquam, suum secum, ad illum locum, maritum adduceret? Lyranus ait: « Dixit Jesus hoc, ut illa eum adduceret, sed ut ex responsione convenientius ipsam argueret, se cretum revelando. » Sed dicit fortasse aliquis, cur eam maritum suum advocare jubebat, quam non cum marito, sed cum scortatore vivere sciebat? Dionysius Carthusianus dicit: « *Virum tuum*, id est, eum, qui putatur maritus, quamvis sis adultera, sed nunquam intentio Christi fuit ut virum illum adduceret; quid enim ille fecisset adductus? » Lyranus ait, Christum hac vie ei indicare voluisse, se aliorum penetrare occulta et secreta, ut hac ratione se Deum esse cognoscere posset: « Ideo per hoc, quod Christus hoc secretum illi dixit, ostendit se scire peccata occulta. » Cajetanus vero observat, Salvatorem hoc ex honestatis motivo fecisse: « Moralis enim honestas hoc habet, ut mulieri nuptæ non donetur, nisi consilio viro. »

2. — Lucas Brugensis aliam adducit rationem, scilicet id Christum dixisse, ut eam faceret confiteri adulterium suum: « Loquitur tanquam habenti, ut commoda occasione admoncat eam vite corrup-

tionis et a scortatione ad penitentiam revocet, sine qua aqua illa divina percipi nequit. » Potuisset quidem ei manifeste dicere, quod nisi prius peccatorum suorum ageret penitentiam, aqua illius, quam postulabat, recipiende minime capax futura esse; sed maluit artificio uti, quo sic « nimia illius verecundiæ consulere, ut tamen necessariam peccati confessionem eliceret. » Idipsum vero diu ante Rupertus Abbas quoque his verbis docuerat: « Usa est arte sua nostræ salutis opifex Dei sapientia, quatenus nec illam molesta verecundiâ pulsaret. »

3. — S. Augustinus, *tract. xiv in Joan.*, per hunc maritum intellectualem ipsius applicationem intelligit, ad intelligendum mysterium, quod ei imprimere satagebat: « Id est, adhibe intellectum, per quem docearis a quo rogaris. » Hugo Cardinalis ait: « Intellectum tuum, o mulier, ad te revoca et mihi presenta, ut intelligas, quod dico, spiritaliter, non sentias carnaliter et veni huc, id est, adesto præsens et prope per spiritualem cognitionem. »

4. — Porro Christus sapientissimus quidam et prudentissimus Protomedicus erat, ut ait Toletus, qui Samaritanam perfecte sanare intendebat, ac proinde ad infirmulatis illius causam et radicem, fornicationem videlicet curandam accingere se voluit: « Capere divina et spiritualia mulier non poterat, quia gravi carnis peccato oppressa et cæca tenebatur; ut igitur illuminetur, ad causam morbi medicus se convertit, et ut peccatum summ agnoscat et confiteatur, ipsam mulierem illuminandam inducit. »

VERSUS 17.

Respondit mulier, et dixit: Non habeo virum.
Dicit ei Jesus: Bene dixisti, quia non habeo virum.

1. — Jansenius ait: « Mulier non intelligens, quò fine id Christus dixisset et existimans se apud hominem tantum loqui, muliebri pudore dissimulans suam turpitudinem, respondit se non habere virum, matrimonium quidem inficiens, sed dissimulans stuprum. »

2. — Sciendum est proinde, quod, ut S. Thomas notat, ipsam dum adulterium suum celare vellet, sibi Salvatorem solum hominem esse persuaderet: « Licet verum responderit Christo, tamen fiele et occulte dedecus suum tacebat. »

3. — Rupertus Abbas hinc Christi bonitatem suspiciendi et admirandi occasionem captat: « Sufficit ista confessionis inchoatio vocanti miser cordia, non expectavit aut exegit ut totum diceret, sed clementiæ manum portigenas peperit: est pudori, subvenit conscientie fluctuantis; nam sequitur: *Bene dixisti, quia non habeo virum.* »

Hugo Cardinalis ipsam hisce verbis culpam suam agnovisse existimat: « Multum enim placet Deo, cum homo recognoscit peccatum suum. *Prov.*, *xviii*, 13: *Qui abscondit scelera sua, non dirigitur, qui autem confessus fuerit et reliquerit ea, misericordiam consequetur.* »

4. — Toletus ait: « Magna prudentia et suavitas Christi hæc est, non arguit, non invehitur contra eam; non adullerem vocat, sed modestissime ejus peccatum manifestat; ut confessariis exemplum daret, quo moneatur, ut penitentiam pudori et confusioni quantum possunt, consulant et parcant, eosque dum contriti sunt et bene dispositi, aspere non reprehendant, sed summa cum benigmitate illos excipiant. »

5. — Porro Christus alii modi, qui Samaritanæ se cordis alieni arcanæ et occultæ penetrare, seque plus quam hominem esse ostenderet, minime deerant, nihilominus illi, qualis vita ejus fuisset, aperire et secreta illius carnis peccata ei detegere voluit: « Mulieris vitam, qualis fuisset et esset, » inquit Jansenius, « detexit potius, quam quodvis aliud occultum, non solum quod commoda occasio se obtulisset, sed etiam ne videretur ob id colloquium hujus mulieris non sprevisse, quam impudicam ignoraret, utque vite ejus impudicæ revelatio, fieret ei occasio vite mundioris et detestatio vite præteritæ. »

VERSUS 18.

Quinque enim viros habuisti, et nunc quem habes, non est tuus vir, hoc vere dixisti.

1. — Cajetanus notat quod postquam mulier hæc se virum non habere respondisset, Christus protinus omnia ei revelavit, quæ a primis ætatis suæ annis perpetrarat: « Aperit Jesus gesta mulieris a principio adolescentiæ ejus, incipiens illi monstrare quæ est ipse Jesus per hoc scilicet absentia et ea, quæ humana notitia erant ei ignota. » S. Thomas ait: « Ut mulierem ad spiritualem intelligentiam reducat et credat in Christo aliquid divinum esse. »

2. — S. Bernardinus acute notat, quod hoc, quod est ipsam cum quinque viris continuum habuisse commercium, maximè illius incontinentiæ evidens signum fuerit, quam proinde post tot et tam diu continuatæ carnis peccata decebat quidem esse continentem, quia « debuerat esse satiatæ concupiscentiæ suæ, » verumtamen Christus nos ejus exemplo pessimam hujus vitii conditionem cognoscere voluit, utpote quod ejus est nature, quod « ex plurimum delectabilem oblectantem, nec actuum subministratorem non extinguitur, nec minuitur, quin potius accenditur? » et ideo bene se sibi habendam esse ostendit; siquidem aquam penitentem postulavit, jamque ad aquam hauriendam

in procinctu erat; ac proinde merito Petrus ille cecinit: « Quo plus sunt potæ, plus siliuntur aquæ. »

3. — S. Thomas de Villanova hac occasione discursum suum merito ad mundanos hisce verbis dirigit: « Unde eis hæc tam rabida et inexplicabilis sitis? utique quia anima eorum quinque viris, id est, quinque sensibus corporeis nupsit, atque eis « nimium conjuncta et alligata est; inde appetitus insatiabilis videndi, gustandi, audiendi et quantumcumque videat et audiat, tamen non satiatur oculus visu, neque auris impletur auditu, nunquam ista hydræ plena est. » Albertus Magnus de concupiscentiæ carnali specialius loquens, de quinque hisce maritis hunc in modum discurrit: « Primus vir secundum hæc est primus sensus, qui est sanitas visus in joeis et ludicris incontinentiam inducentibus et peccatis. Secundus vir est auditus turpium verborum. Tertius, olfactus incendientium ad libidinem. Quartus est gustus. Quintus vir fornicans est tactus. »

4. — S. Bonaventura pariter per quinque hosce viros quinque sensus intelligit, sed progreditur ulterius dicendo: « Ex his quinque regitur anima infirma et in primis annis; sed quando venit ad annos discretionis, si eam acceperit doctrina sapientiæ, succedit vir legitimus, succedit intellectus, qui melius regit, quia ad æternitatem cogit et excolit, et instruit. »

5. — Rupertus Abbas Tuitiensis mulierem hanc ante habitum cum Christo colloquium, mundo et quinque sensibus servivisse, id est, omnibus fuisse vitiiis deditam considerat, ac tandem per idololatricam dæmoni fuisse desponsatam: « Sic Ecclesia quondam cum gentilibus esset, quinque sensibus corporis luxuriata, in omni concupiscentiæ carnis et oculorum, quæ in mundo est, tandem ad hoc devoluta fuerat, ut pro viro suo legitimo, pro factore et amatore animarum Deo, diabolum reciperet, in ligno et lapide fornians eum illo, qui non erat suus vir. »

VERSUS 19.

Dicit ei mulier: Domine, ut video, Propheta es tu.

1. — Ex hisce verbis dicti illius Davidici veritas deducitur; dicit enim Psalmista, *Ps. cxviii*, 130: *Declaratio sermonum tuorum illuminat et intellectum dat parvulis.* Postquam enim ignorans hæc et in via Dei agnoscenda cœca mulier familiarè cum Christo colloquium continuasset, divinum ejus verbum audiendo, paulatim vero lumine illustrata fuit; siquidem quæ paulo ante probrose ei dixerat: *Quomodo tu Judæus cum sis, bilere a me possis?* postea eum honorifico nomine Domini compellat, dicens: *Domine, da mihi hanc aquam;* nunc vero amplius eum honorans, Propheta titulum ei

attribuit; et tamen eundem tamquam verum in lege promissum Messiam et mundi Salvatorem esse agnovit.

2. — S. Thomas, in *Joan.*, ait: « Prophetam « confitebor idoneum ad satisfaciendum de dubiis, « hoc est proprium Prophetarum, ut incognita et « abscondita annuntient. »

3. — Theophylactus, in *Joan.*, mulieris illius admiratur virtutem, quia dum sibi inhoneste ab ea transactam vitam a Christo manifestari audit, nequaquam se illi irasci aut indignari ostendit: « Num illa segre ferebat, cum talia audiret? vel « relicto eo fugiebat? Non, sed magis admirata et « confirmata, dicens: *Domine, ut video, Propheta es « tu.* » Tunc jam non amplius de terrenis, hoc est, de aqua, vel alia quavis re petenda, sed de dogmatibus spiritualibus et de Messiae adventu investigando et annuntiando sollicita fuit: « De dogmatibus divinis statim illum interrogat, non de « corporalibus, ita sapientie avidam et virtuti « deditam habebat animam. » Unde et S. Bernardinus ait: « Ex auditis malis suis non turbationem, « sed conversionem accepit. »

4. — Imo correptionem sibi propositam grato et libenti animo accepit, et ideo illuminari meruit, sicut vero a Pharisaeis factum fuit, qui ob turgidum fastum et superbiam suam, defectus suos sibi manifestari sufferre non poterant: « Non successit, » inquit Lucas Brugenensis, « non diffidit peccatum, « non excusat; magnum salutis argumentum est, « correptionem admittere; et contra, odiose cor- « reptionem, vestigium est peccatoris. *Ecolt.*, xxi, « 7: Uno eodemque hoc sermone mulier et confi- « tetur modeste peccatum suum, et Jesu celebrat « excellentiam. »

5. — Hugo Cardinalis ex hisce mulieris verbis salutare hoc nobis suggerit documentum, ut scilicet servos Dei religiose veneremur, nequaquam vero ex invidia motivo contemnamus illos: « Instrui- « mur, ut cum sanctitatem in homine videamus, « eam confitemur, et non ex invidia impugne- « mus. »

VERSUS 20.

Patres nostri in monte hoc adoraverunt, et vos dicitis quia Hierosolymis est locus, ubi adorare oportet.

1. — S. Thomas, in *Joan.*, nos ad diligentiam hujus mulieris considerandam his verbis invitat: « Quia mulieres utpote curiosae et infructuosae, et « non solum infructuosae, sed otiosae. I *Timoth.*, « v, 13. Non de mundanis, non de futuris eum « interrogabat, sed de his quae Dei sunt, secundum « illud *Matth.*, vi, 33: *Primum quaerite regnum Dei,* « etc. » Ex quo enim Christum veluti Prophetam agnoscebat, bonam negligere noluit occasionem illum interrogandi circa decisionem questionis

illius, quae Judaeis inter et Samaritanos controver-
tebatur in materia religionis. Samaritani etenim,
inquit praefatus Angelicus Doctor, Deum pariter
cum Judaeis per eorumdem praecceptorum observan-
tiam adorantes, ne opus esset frequentare templum
Hierosolymitanum in monte Sion fabricatum, aliud
quoddam in monte Garizim templum fabricarunt;
ac proinde hoc factum: « Quaestio versatur inter
« eos, quis istorum montium esset convenientior
« locus orationi et ducebant rationes utrinque pro
« parte; Samaritani dicebant, in monte Garizim,
« quia antiqui patres adoraverunt ibi Dominum. »
Chrysostomus optime ponderat, *Hom. xxxi in Joan.*,
mulieris hujus profectum, quem tempore adeo
brevis, quo cum Salvatore locuta fuit, in spiritu sibi
comparavit: « Animadvertisne quam brevi altiori
« aggreditur? Nam cui modo de sedanda siti cura
« erat, jam doctrinae praeccepta perquirit. » Demum
vero notabilem nobis negligentiam nostram exprobat,
qua in similibus occasionibus Deum et salutem
aeternam respicientibus, desides et socordes esse
solemus: « Pudeat nos et erubescamus, quinque
« virorum mulier et Samaritana, tantam in discendo
« adhibet diligentiam, ut neque diei tempore,
« neque aliis occupationibus a Dei doctrina abdu-
« ceretur; nos vero non modo nihil ad divinarum
« rerum eruditionem inquirimus, sed negligimus. »
Enimvero merides erat, quo tempore solis ardores
molestiores esse solent, ideoque verisimile est,
magnam illam vexatam fuisse sitim; et tamen, ut
Rupertus Abbas observat: « Praeter sitim corporis,
« ob quam veniebat haurire aquam, habebat quan-
« dam aliam sitim, scilicet audiendi verbum Dei,
« quam optime noverat ipse adaequator mentium,
« qui loquebatur ei; numquid enim sola peccata
« ejus noverat et desiderium animae ejus non nove-
« rat? »

2. — Hugo Cardinalis ad hoc se reflectit, quod
sagax et prudens haec mulier, postquam semel ei
Christum verum Prophetam esse persuasum fuit:
« Non interrogat aliquod mundanum, neque de
« sanitate corporis, neque de pecuniis, sed de
« dogmatibus statim quaerit et praecipue de hoc, de
« quo erat dubitatio et contentio inter Judaeos et
« Samaritanos, scilicet de loco orationis; in hoc
« instrumitur, ut cum sanctis et sapientibus viris
« libenter colloquamur et consilium de spiritu-
« alibus, non de temporalibus requiramus. »

3. — Idem quoque Cardinalis nos, qui de
precedentia circa cultum loci alienigeni vel imaginis
sacre contendunt, illos qui in operibus devotionis
emuli et competitores sunt, intelligendos esse cen-
set: « Significantur quidam emuli et zelatores in
« invicem, qui sanctitatem loci et habitationis suae,
« Ordinis sui, aliis preferunt. Est contentio inter
« simulatores non spirituum, sed laudum. »

4. — Lucas Brugenensis hoc loco quaerit, cur

mulier haec in postulatione aquae vitae semel facta
non perstiterit, sed discursum suum mutavit:
« Non amplius ursit donum illud aquae vitae, vel
« quod existimaret non esse dandum impudice;
« vel quod persuasa allegoricum et mysticum fuisse
« promissum illud, quales solent esse Prophetarum
« sermones. » Et tamen valde considerabile, quo
mulier haec in carnis lascivia ad gulam usque pro-
fundissime immersa, de nulla alia re cognoscenda
sollicita fuerit quam ut de loco, in quo orationem
suam factura eral, interrogaret; ad quod tamen
respondi potest, id mirum non esse, quia hujus-
modi peccatrices et infames mulieres ut plurimum
loca sacra celebriora, magisque frequentata invisere
solent, non tam ut adorent quam ut adorentur;
vel etiam quia uti experientia in multis docet, tales
mulieres ut plurimum, licet in mala vita sua conti-
nuanda perseverent, idque ideo, quia in certis
quibusdam orationibus et devotionibus externis
confisse, sub harum ficto pallio carnis voluptatibus
omnem prorsus licentiam permittunt: « Resolutio-
« nem hujus controversiae peti, » inquit Toletus,
« sive qua desiderio sciendi hoc tenebatur; sive
« quia scrupulo aliquo angebatur, ne forsitan ubi
« non deberet, Deo sacrificium offerret; sive forsi-
« tan, colloquium de sua incontinentia inceptum
« interrumpere: sepe enim accidit, quando aliquid
« non admodum libenter audimus, aliquam solemus
« excitare diversam questionem, de qua dum fit
« sermo, quod eral auditui minus gratum, relin-
« quatur. »

5. — Tametsi Christum huic mulieri postulatam
aquam vivam dedisse non constat, atamen neque
et contra hanc ei negatam fuisse refert Evangelium;
et ideo ex repentina mutatione, quae in eo facta
fuit, credere possumus, Christum gratiose ita dis-
posuisse, ut aqua haec salutaris divinae gratiae in
ea abunde scaturiret; siquidem vere dicere poterat:
Vivo ego jam non ego, vivit vero in me Christus. Unde
Simon de Cassia ait: « Omnibus posteris honestam
« conversandi et loquendi tradit formam cum viro
« religioso de religione, cum sancto de sanctitate,
« cum honesto de honestate, cum sapiente de
« disciplina, etc. »

VERSUS 21.

Dicit ei Jesus: Mulier, crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitur Patrem.

Crede mihi.

1. — Evangelicae doctrinae mysteria aperturus,
inquit Jansenius, prius fidem exigit, quod fine ea
nemo sit idoneus auditor, nec sine ea mulier haec
intelligere poterit. S. Thomas pariter notat, quod
non sine causa dixerit: « *Fidem adhaere*, quia acce-
« dentem ad Deum oportet credere. »

2. — Porro per hanc horam tempus legis novae
intelligitur: « Intellige tempus legis novae, » inquit
Lucas Brugenensis, « seu Evangelicae. » Albertus
Magnus illum Apostoli ad *Rom.*, xiii, 11, textum
adducit, ubi Apostolus ait: *Hora est jam nos de
« somno surgere, nunc enim proprius est nostra salus,*
quam cum credidimus. Chrysostomus, *Hom. xxxi in
« Joan.*, Christum huic mulieri specialissimum quan-
dam contulisse praerogativam dicit: « Maximam
« huic revelavit doctrinam et quam neque Nico-
« demo, neque Nathanaeli. »

3. — Verum petere nonnemo posset, cur, ex
quo de hac solum controversa quaestio esset, Chris-
tus ad hanc directe non responderit, sed discursum
suum alio converterit? Chrysostomus igitur Christum
id summa cum prudentia fecisse ostendit;
dicit enim: « Nihil aliud illi propositum, nisi ut
« mulierem venaret et ad salutis viam traduceret,
« propterea nihil asperius prolocutus est; nam si
« dixisset Hierosolymis locum esse, ubi adorare
« oporteret, ipsam exasperasset. » Toletus vero
Christum coherenter ad questionem respondisse
probare nititur; siquidem expresse ei hanc contro-
versiam paulo post et indilate cessaturam esse
declaravit et praedixit; siquidem in proclama sit, ut
neque ibi, neque Hierosolymis ad orationem faciendam
convenire necesse sit: « Sed ne putaret cultum
« et adorationem omnino cessaturam, inquit: *Ado-
« rabis Patrem.* Dum Patrem vocat, ad Filium
« erigit considerationem. » Quodsi enim orationis
faciendae causa ad templum Hierosolymitanum fru-
quentandum omnino esse respondisset, illum utique
offensus fuisset et a respicientia reddidisset alie-
nam; si vero hoc fine montem Garizim consen-
dendum et visitandum esse dixisset, utique contra
veritatem locutus fuisset; neque insuper suum assecu-
turus fuisset intentum, quo se verum in lege
promissum Messiam esse manifestare volebat; ideoque
praegnantem ob causam, hanc adorationem
tam inter Samaritanos quam inter Judaeos, pro
adventum suum terminandum et finem suum habitum
esse respondit.

4. — S. Bonaventura in sensu morali ita scribit:
« Si quaeris in altum locum, intus exhibe templum
« Deo; in templo vis orare? in le ora; sed prius
« esto templum, quia ille in templo suo exaudiet
« orantem. »

VERSUS 22.

Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus, quia salus ex Judaeis est.

Vos adoratis quod nescitis.

1. — Nimirum errorem ipsorum hisce verbis
detegere voluit; siquidem Deum corporeum esse,
eumque veluti particulari cuidam loco alligatum,
vel in monte illo, vel Hierosolymis subsistere et